Pascii Nicolai: Fructus laboriosae virtutis honor, sub tempus inaugurationis Joannis Stokowski.

FRVCTVS LABORIOSÆ VIRTVTIS HONOR,

Sub tempus

INAVGVRATIONIS

Illuſtris Magnifici & Generoſi Domini

D. IOANNIS

à STOK

STOKOWSKI,

IN

IVDICEM

ZATORIENSIS & OSVENTIMENSIS

DVCATVVM.

Metris Lyricis


DECLARATVS.

à NICOLAO PASCIO, Pleb. in Marciporemba,

Anno Regnantis à Ligno DEI 1680. Ipſis idibus Iunij.

CRACOVIÆ, In Officina FRANCISCI CEZARI, S. R. M. Typ.

In
Gentilitium Insigne
Illustrissimæ Domus
STOKOVIANÆ.





SEu fuit Arcadius, cui hæc collata fuerunt
Arma, seu fuerat DRZEWICA Procopius
Vsus vterq; fuit Stellis, & lumine Lunæ,
Vsus in hostiles, nocte, doloq; globos.
Hinc Lunâ, & Stellis ornatus vterq;, perennem
Cum tota laudem posteritate refert.
Ex horum Illustres descendunt stirpe STOKOWSCI.
Hiscè modis pugnant, hiscè trophæa ferunt.



ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. PAVLO à STOK STOKOWSKI.

Castellano Osuentimensi

Senatori Regni Poloniæ, Dignissimo Domino & Patrono Obseruandissimo Salutem & perennem felicitatem.



Ræclarè sanè Ethicum illud, licet Ethnicum, a Platone videlicet primùm, deindè ab Eloquentiæ parente Tullio vsurpatum. Illustrissime Domine Domine & Patrone Amplissime. Virtus, inquirunt, si oculis Corporeis cerneretur, mirabiles amores in mentibus hominum excitaret. Diuina profectò, & magis Corde Christiano, quàm marmore Pario sculpenda sententia! Licet au-

tem Virtus, ipsa per se videri nequeat, illos tamen, qui eâ præditi sunt, videri vel maximè facit; ad instar Gygis illius Lydij, de quo ex eodem Platone idem Cic. lib. 3. *Offic.* Cum terra, *inquit*, discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumq; Equum animaduertit, cuius in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui vidit Corpus magnitudine inusitatâ, annulumq; aureum in digito, quem vt detraxit, ipse induit, erat autem Regius Pastor: tum in Concilium Pastorum se recepit; ibi cum palam eius annuli, ad palmam Conuerterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in locum annulum inuerteret.

Simile quid de virtute affirmare possumus, quæ tametsi oculis Corporis, vti res incorporea, videri nequaquàm possit; eos tamen, quos splendoribus suis illustrarit, tantò spectabiliores, amabilioresq; efficit, quantò magis se in eorum mentes infuderit, atq; per mores, gestus, & actiones, tanquam radii solares, in apertum sese effuderit, sensibus etiam Corporeis spectandam, ne dùm animo Concipiendam. Hinc Principes illi, Reges, Duces, & Monarchæ, qui sapientia, fortitudine, Iustitia, bonitate, munificentia, humanitate, atq; aliis virtutibus excelluerunt, in maxi-

mo omnì-

mo omnium amore, & deliciis habebantur. Hinc Augustus, Traianus, Titus, Vespasianus, atq; alii clarissimi Romanorum Imperatores, omnibus omnium Ordinum hominibus, adeò cari, & amabiles exstiterunt, vt singuli eorum, amor mundi, & deliciæ humani generis cognominarentur. Talem ego Amplissimam, Nobilissimamq; Domum Tuam video Illustrissime Domine. Cuius Heròës à DRZEVICIIS *Orti, & ex diuisione diuersorum bonorum, diuersas cognominationes sortiti, illud singulare, cum Gentilitia Luna sua, & Stellis, per tot annorum spatia, firmâ stabilitate retinuerunt, quòd cum antiquitate Domûs, ornamenta Posterorum effecti, nemini dictis, vel factis nocuerunt. Et ad Generosam Indolem, exterarum quoq; nationum peritiam in Politia, & Scientia militari addiderunt, Collectisq; Virtutum studiis, in aulis Regum & Imperatorum exstitêre Dìgnissimi, Doctissimi, gratiosissimi; in cruento autem Palladis campo Bellatores gloriosissimi. Talem Te ipsum Illustrissime Domine agnosco. In cuius corde, Virtutem omnium bonorum Matrem, domicilium fixisse animaduerto; quæ dum se per actiones Heroicas, & tanto Senatore dignas, per gesta, & præclarè facta, ac per ipsa Corporis lineamenta in toga & Sago, publicè exserit omnium amorem, tanquam Magnes ferrum, Pantarbes aurum, ad se trahit. Trahit ad se amorem Cleri, qui Te immunitatum suarum*

Patronum

Patronum & Defensorem, tanquam Roma alterum Camillum agnoscit. Trahit amorem Ciuium, qui Te in componendis variis causis, & controuersiis Arbitrum exposcunt. Trahit amorem Senatorii Ordinis, qui Tuam in Comitiis, & Conuocationibus publicis summam sapientiam, & Suffragiis pro Republica ferendis singularem prudentiam lubens acceptat. Trahit amorem Serenissimorum Regum. Et in primis VLADISLAI IV. & IOANNIS CASIMIRI, *quorum alter prærogatiuâ Vexilliferi, alter Castellani Osuentimensis Te ornauit; quibus in Officiis, ita Te gessisti & geris, ut omnium amorem mereare* IOANNIS *quoq;* TERTII *feliciter regnantis, singulare amoris in Te exstat argumentum. Dum enim nuper, (vt alia transeam) post defunctum piæ memoriæ* IOANNEM PISARZOWSKI *Iudicem Terrestrem Zatoriensem & Osuentimensem sella Iudiciaria vacaret, Consentiente liberè Vniuersa Ducatuum horum Nobilitate (quod sine Suffragio, & Authoritate Tua fieri non potuit) Virum dignissimum, & Virtutum Tuarum supparem* IOANNEM à STOK STOKOWSKI, *Germanum Tuum Collatorem meum, ad id Officium pro dignitate obeundum sapientissimus Princeps Te instante elegit, & promouit, ac Priuilegium huius prærogatiuæ, non pretio, sed prece Tuâ extradi mandauit. O pulchra, & honesta, ac legitima*

Virtutis

Virtutis præmia! Sic Lucius quondam Philippus V. Fabii filius, magno Vir ingenio, inprimisq; clarus gloriari solebat, se sinè vllo munere adeptum esse omnia quæ haberentur amplissima. Malè enim se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ. Itaq; eos Viros suspiciunt, maximisq; efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam, & singulares Virtutes perspicere. *Hæc toties memoratus Cic. lib. 2. Offic.* Quæ volumina eius ediscenda, non modò in manibus quotidiè habenda, *Vespasianum Imperatorem censuisse*, *Plinius in Prologo Nat. Hist. est testis. Quid restat? In applausum & aggratulationem obtentæ huius Dignitatis Carissimo Germano: Tuo Illustrissime Domine hæc breuiuscula, dicam leuiuscula attuli, amore, & gratitudine beneficiorum deuinctus. Quam meam qualis qualis est opellam, Illustrissimæ Celsitudini Tuæ offero, corigendam magis, quàm legendam, vt quod erroris est, pro Tuâ insigni Sapientia emendes, quod amoris accepies.*

Viuite

Viuite ô inclyti DRZEVICII STOKOWSCII *inquam felicissimi, & allucente Æterno Sole Lunæ Vestræ & Stellis, Lucete Ecclesiæ, Regno, Regi, Patriæ Prosapiæ in perpetuas æternitates, lucete & mihi fauore & gratia perenni, quod unicè voueo & precor.*

Vester

Humillimus Seruus & coram
DEO

Exorator indignus

NICOLAVS PASCIVS,
Pleb. in Marciporemba.

FRV-

FRVCTVS LABORIOSÆ VIRTVTIS HONOR,

ODE Tricolos Tetraſtrophos.

PÆnis ut æquis corripit improbos
Rhamnuſis auſus: Sic Themis æquior
Virtutibus laborioſis
Diſtribuit meritos honores.
Hinc Eruditis, & Sapientibus
Erectæ in altum ſunt Statuæ Viris.
Veſtamq; Veſtaleſq; priſca.
In ſuperos retulit vetuſtas.
Votoq; tonſam Berenices comam,
Ob cædem & exſtinctam Erigonem Patris,
Cœlis & Aſtreâm receptam
Terrigenûm vitiis fugatam.
Hinc vecti ad vrbem curribus aureis,
Pardis, & vrſis, atq; Leonibus,
Victis ab hoſtibus Strategi,
In mediis reduces triumphis.
Hinc purpuratæ Pontificum Mitræ,
Ducum Tiaræ, Sceptraq; Regia
Hinc SCVTA ſunt SOBIESCIORVM
Antè Equitum, modò facta Regum.
Hinc Topororum peruetus ASCIA
Et HASTA Triplex SARIA, FLVMINA
SRENIAWIORVM, peruetuſtus
Et STARIKONIADVM CABALLVS.

Hinc GOZDAVARVM candida LILIA,
Et DOLIVARVM Tergeminæ ROSÆ,
Flammasq; ructantes hianti
Ore PŁOMENSCIADVM LEONES.
Hinc arma CERVI tensa BIBERSTEIN
SCVTVMq; SCHILLING cum TILIÆ Comis.
CRVCESq; IASTRZĘBECIORVM
Cum SOLEIS, BNINIÆq; NAVES.
Hinc MVCRO quassus NOVINIÆ domus
Aheneæ ansæ de super in cubans,
BOGORIDVM, ODROVANZIDVMq;
TELA, KRASINSCIADVMq; CORVI.
Hæc inter, & tot millia Stemmatum,
Quæ sunt virorum præmia fortium,
STOKOVIANA cum duabus,
LVNA nitet radiata STELLIS.
Cur Luna? Nam ceu lumina fulgidi
Post clara Solis Cynthia promicat,
Suasq; virtutes in imæ
Influit inferiora terræ,
Præ cæterorum lumine siderum.
STOKOVIORVM sic Domus inclyta:
Et Lechicum Collustrat orbem
Præ reliquis patriæq; prodest.
Stellas quid inter? Nam variabilis
Sit Luna quamvis, Sidera cum tamen
Locatur inter fixa, & ipsa
Fixa manet, stabilisq; semper.
Ad astra versis cur quoq; Cornibus
Niti videtur? Nam velut optimis
Parnassus in sessus Camænis
Verticibus petit astra binis.

STOKO.

STOKOVIANI dextera Sanguinis
Sic astra spectat, sic petit æthera,
Domi forisuè siue Castris
Siue Sacris operetur aris.
Troianus olim qualis Equus virûm
Turmas Pelasgûm fuderat in Phrygas:
STOKOVIANÆ sic phalanges,
In varios glomerantur hostes.
Quis credat? extunc dum fera prælia
Cum Tauri canis, atq; Rebellibus,
Moschisq;, Suecisq; & Gelonis,
Hostibus atq; aliis geruntur,
Vno trecentos vt Fabios die
Triginta plures ense STOKOVIOS
Ferroq; Martis in Cruento,
Palladis occubuisse Campo.
Quos PAVLVS inter Signifer antea,
Osuentimensis atq; Zatorii,
Nunc verò Castellanus Orbis,
Signa tulit, validumq; dextra
Mauortiali strinxit acinacem,
Mauortiali strictus, acinace,
Huc usq; Circumfert petito
Stigmata non moritura vultu.
Præclara tantæ progenies Domus,
STOKOVIANI gloria Sanguinis
Incorporati Præco VERBI
Grande cui dat habere nomen.
Nomen Monarchæ, qui modo Lechiæ.
Dat iura, Fratrem Frater amabilem,
Chironem Achilles æmulatus
Tu quoq; mente pari, graduq;

Secutus

Secutus æquo, Phemonoen colis,
Primis ab annis, diſcis Apollinem,
Suadamq; Stoamq;, & profunda
Stagirei monumenta Circi.
Mox arma tractas belligerâ manu,
Silens omitto Pilauecenſia.
Ducumq; Caſtrorumq; triſti
Iugera nobilitata ſtrage.
BERESTECENSES, Sanguine proprio
Quos purpuraſti, non equidem decet
Silere Campos. Luctuoſa
Quæ video? voco glorioſa,
Sed æquiori nomine vulnera;
Hoc illa nuper nomine Præſulum,
Decus TRZEBICIVS vocauit,
Vnde Tibi, decus in perenne,
Plus gloriæ, quam Sanguinis exiit.
O plena veræ vulnera gloriæ,
Quæ non ab argento, nec auro,
Sed meritis, ſolidaq; manat
Virtute! Nempe hæc STOKOVIÆ Domus
Lux, ô IOANNES, Iudiciarios
Quos iam capeſſis, cum perenni
Laude Tibi peperêre Faſces.
Capeſſe felix, Iudiciarios
Capeſſe Faſces, Iudicium feras
Vt iuſtus inter fas nefaſq;
Cum Solymo Sapiente Iudex.
Ad plenam honoris ſic Tuâ Cynthia
Aſſurgat Augem. Iuſtitiæ Tibi
Sic luceat Sol æuiternus
Detq; nouos ſinè nube Soles.

FINIS.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019509